

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

GRAECORUM CODICUM

MANUSCRIPTORUM

QUI PANORMI IN R. BIBLIOTHECA ASSERVANTUR

SPECIMEN

EDIDIT BREVIBUSQUE NOTIS ILLUSTRAVIT

SAC. ANTONIUS PENNINO

PANORM. METROP. ECCLESIAE CANONICUS
EIDEMQUE BIBLIOTHECAE ASSISTENS



PANORMI
EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI LAO

1882

GRAECORUM CODICUM

MANUSCRIPTORUM

QUI PANORMI IN R. BIBLIOTHECA ASSERVANTUR

SPECIMEN

ANDREAS (*S.*) Cretensis, aliique. HOMILIAE, *graece*.

Codex membranaceus in 4° (mm. 218 × 178) saec. XIII, ut ex characterum forma, ex atramenti colore, aliisque indiciis satis constare videtur. Folia habet 243, in quaternos divisa, quorum unumquodque suum numerum praefert ab ά (1) ad λ' (30) : post ultimum sequuntur ff. 18 absque ulla enumerationis nota. Partem primi folii superiorem antiquitus mutilatam invenio; postremum insuper folium quaterni κγ' (23) cum duobus aliis quaternis qui sequuntur, scilicet κδ', κέ (24, 25) omnino desunt: reliquus codex pulchro plerumque charactere, sed varia manu exaratus integer manet.

Nonnulli homiliarum tituli parvo quodam rudi ornamento insigniti, ac initiales cuiusque sermonis literae saepe forma elegantiores cernuntur. Iuxta titulum vero extat quandoque in margine numerus orationum ex ordine.

Continent collectanea haec, praeter homilias, quandam historicam enarrationem, ut infra videre est: quae omnia numerum duodeviginti pertingunt. Quod vero ad originem codicis spectat, puto eum ad Basilianos monachos pertinuisse, quorum studio ac labore nostrae graecorum coenobiorum bibliothecae accuratis ac magna pars exquisitis codicibus locupletatae fuerunt.

(*Cf.*, Rodota' *Storia del rito greco in Italia*; Montfaucon, *Palaeogr. gr.* I, 103). Porro in primo huius voluminis folio recentiori manu adnotatum legitur in margine nomen *D. Basilii.*

Sed nunc praestat sermonum titulos exhibere, prout in codice habentur.

1. (ff. 1-8). Τοῦ ἐν ἁγίοις ἡμῶν πα(τρὸς ἡμῶν ἀνδρέου ἀρχιεπισκόπου Κρήτης τοῦ ἱεροσολυμίτου) λόγος εἰς τὴν γενέ(θλιον ἡμέραν τῆς παναμώμου δεσποί)νης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ (ἀειπαρθένου Μαρίας). Κύριε εὐλόγησον. Ex titulo tertiae orationis eiusdem argumenti, prout in editione Migne (*Patrol. gr.*, t. XCVII) legitur, suppleo quae in codice desunt.

2. (ff. 9-44[a]). Ἀλεξάνδρου μοναχοῦ λόγος ἱστορικὸς περὶ τῆς εὑρέσεως τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ. πρός τινας πατέρας προτραπεὶς ὑπ᾽αὐτῶν· ἐν ᾧ ἐστί Θεολογία ἀληθεὶς (*sic*) καὶ περὶ τῆς θείας οἰκονομίας ἀπλανὴς οἰκονομία (*sic*) καὶ ἐγκώμιον εἰς τὸν ἅγιον σταυρόν. Δέσποτα εὐλόγησον. Titulus huic simillimus, sed profecto emendatior, extat in exemplari Cryptae Ferratae, ubi pro ἀληθείς... οἰκονομία legitur ἀληθής... ὁμολογία; et loco verbi προτραπείς cum voce λόγος consonantis, verbum προτραπέντος habetur, quod ad auctoris nomen melius refertur.

3. (ff. 44b-49). Γερμανοῦ ἀρχιεπισκόπου κωνσταντινουπόλεως ἐγκώμιον εἰς ὑπεραγίαν Θεοτόκον· ὅτε προςηνέχθη ἐν τῷ ναῷ τριετίζουσα. Oratio haec quarto loco ponitur inter sermones s. Germani juxta edit. cl. Migne, et secundo inter homilias de S. Virginis Deiparae mysteriis. At in quibusdam codd. mss., veluti in Augustano Vindel. (v. REISER, Indic. mss. Aug. p. 23, n. 16) et Vindobon. in cod. Caes. 151, n. 25 (v. LAMBEC. IV, p. 298) primum locum tenet. Codex hic noster variantes continet lectiones, dignas sane quae cum editis conferantur.

4. (ff. 49-59). Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου ἀλεξανδρείας εἰς τὴν ἀπογραφὴν τῆς ἁγίας μαρίας καὶ εἰς τὸν ἰωσήφ. Κύριε εὐλόγησον. Inter dubia s. Athanasii opera hic sermo accensetur, praesertim ob ineptissimum dialogum, Iosephum inter et beatam Virginem, qui circa mediam orationem legitur, et incipit: Οὐ σὺ ὡς αἰδέσιμος παρθένος ἐν τοῖς ἱεροῖς etc. In latina autem huius sermonis translatione, quam Surius et Lipomanus in Vitis Sanctorum ediderunt, dialogus iste non invenitur. Sed utrum graeci exemplaris fide, an eorum iudicio, omissus fuerit, non constat : compertum vero est in manuscriptis fere omnibus, uti et in hoc nostro, extare. *Cf.* LUC. HOL-

STEN. *praefat. in septem homil. d. Athanas. dubias vel spurias ap.* Mign. *Patr. gr.*, t. XXVIII, c. 941.

5. (ff. 59-87). Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου. εἰς τὴν γενέθλιον τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. Longe differt sermo iste ab ea oratione, quae pari fere titulo inter opera s. Gregorii Nazianzeni, vulgo Theologi, reperiri solet, et est XXXVIII in edit. paris. an. 1630. Post liturgica verba Χριστὸς γεννᾶται, quae communia habet, sequitur: Χριστός ἐστιν Θεὸς ἐνανθρωπίσας. αὐτὸς γὰρ ὁ Θεὸς καὶ λόγος ἀναλαβὼν τὴν ἡμετέραν σάρκα *etc.*

6. (ff. 87-97). Τοῦ ἁγίου βασιλείου ἀρχιεπισκόπου νεοκαισαρείας καππαδοκίας λόγος εἰς χριστοῦ γέννησιν. κύριε εὐλόγησον. Iuxta Iuliani Garnier sententiam falso homilia haec d. Basilio adscribitur, ideoque in *Appendice* sita est tum in eius editione an. 1722 (vol. II, p. 595) tum etiam in *Patr. gr.* Migne (vol. XXXI, col. 1457).

Dolendum est in hac nostra cuiusvis sit oratione ob exscriptoris incuriam quaedam omissa, quaedam vero corrupta reperiri. Variantes autem lectiones saepenumero cum iis conveniunt, quae in codd. Combefisianis inveniuntur. *Cf.* COMBEFIS, *Basilius recensitus.*

7. (ff. 97-104[a]). Τοῦ ἁγίου βασιλείου ἐπισκόπου ἰσαυρίας· λόγος εἰς τὰ ἅγια νήπια, τὰ ἐν βηθλεὲμ ὑπὸ ἡρώδου ἀναιρεθέντα· κύριε εὐλόγησον. Est XXXVII oratio in editione Claudii Dausqueii (Paris., 1622), quam I.-P. Migne in t. LXXXV fere ad verbum denuo impressit.

8. (ff. 104[b]-119). Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου κωνσταντινουπόλεως τοῦ χρυσοστόμου· λόγος εἰς τὴν περιτομὴν τοῦ κυρίου καὶ εἰς τὸν συμεῶνα· κύριε εὐλόγησον. Inter spuria merito ablegatur. V. *Patr. gr.* Migne t. L, col. 807, sq., ubi legitur cum versione Frontonis Ducaei sub titulo: Εἰς τὴν ὑπαπαντὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὴν Θεοτόκον, καὶ εἰς τὸν Συμεῶνα, λόγος, scilicet *De Occursu D. N. Iesu Christi, deque Deipara et Symeone oratio.* Unde intelligi potest in titulo nostri codicis errorem irrepsisse, cum in hac homilia obiter tantum de *Circumcisione* (περιτομή) agatur, sed potius de *Purificatione* et *Occursu* (ὑπαπαντή) seu obviatione facta a sene Symeone et Anna vidua (*Cf.* Dufresne, *Gloss. med. et inf. graec. ad voc.* Ὑπαντή et Ὑπαπαντή).

Hoc tamen mirum non est, quia in ipso sermonis initio quaedam de Circumcisione leguntur; et compertum habeo quandoque in homiliis titulum ex uno tantum verbo obiter dicto desumi: cuius rei

exemplum vide in Praefat. Monach. s. Mauri ad homilias d. Basilii § III.

9. (ff. 119-124) Τοῦ ἁγίου βασιλείου ἀρχιεπισκόπου καισαρείας καππαδοκίας· λόγος προτρεπτικὸς εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα· κύριε εὐλόγησον. Est et alia oratio cum falso titulo *De baptismate*, quae *de Spiritu sancto* potius inscribenda esset, et inter spurias á Maurinis merito accensetur. Quae in nostro codice refertur, est homilia XIII tum in edit. maur., tum in patr. Migne, t. XXXI, eorumque textui plerumque convenit.

10. (ff. 125-133[a]). Ἀμφιλοχίου ἐπισκόπου ἰκονίου εἰς τὴν ἁγίαν Θεοτόκον καὶ εἰς τὴν ἄνναν καὶ εἰς τὸν συμεών· κύριε εὐλόγησον. II[a] haec est ex homiliis editis a cl. Migne in t. XXXIX gr. patrol., titulumque praefert : Εἰς τὴν ὑπαπαντὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ εἰς τὴν Θεοτόκον *etc.*, ut in codice nostro. Quoad verbum ὑπαπαντή vide supra ad n. 8.

11. (ff. 133[b]-139[a]). Γρηγορίου ἐπισκόπου νύσης· ἐγκώμιον εἰς εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. Δέσποτα εὐλόγησον. Ineditus fortasse est sermo iste, quem mox, Deo favente, typis mandabimus. Equidem inter opera d. Gregorii Nyss. a Migne edita (t. XLIV-XLVI) nulla

adest oratio in Annunciatione B. V., nec apud Fabricium ullius de huiusmodi argumento homiliae mentio fit. Incipit: Ἀεὶ ὅτ' ἂν μνησιῶ *(sic, fortasse pro* μνησθῶ*)* τῆς εὕας τὴν παρακοὴν δακρύω.

12. (ff. 139[b]-145[b]). Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου κωνσταντινουπόλεως τοῦ χρυσοστόμου· λόγος εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ἁγίας Θεοτόκου. Δέσποτα εὐλόγησον. « Non lectu indigna est haec homilia, licet ab Savilio, Frontone Ducaeo, Tillemontio, quibus nos adstipulamur, Chrysostomo abiudicanda censeatur. » Ita incipit *monitum* edit. s. Ioann. Chrys. in *Patrol.* Migne, t. L, c. 795, ad calcem huius sat brevis orationis, quae ibi una cum latina Front. Ducaei interpretatione exhibetur. In titulo illic legitur: Εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπερενδόξου Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, scilicet: *In Annuntiationem gloriosissimae Dominae nostrae Deiparae.* Dolendum in codice nostro multas irrepsisse in orthographia mendas ob amanuensis imperitiam, qui, ut videtur, aliquo dictante scribebat. Hinc habes λαλῇ pro λαλεῖ; ὁμήλυσεν pro ὁμίλησεν; μηνύσε pro μηνύσαι etc., quae verba, iuxta vulgarem apud Graecos pronunciationem, quandam consonantiam efformant.

13. (ff. 145[b]-149[a]). Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου κωνσταντι-

νουπόλεως τοῦ χρυσοστόμου· λόγος εἰς τὴν μεταμόρφωσιν τοῦ κυρίου ἡμῶν· Ἰησοῦ χριστοῦ. Δέσποτα εὐλόγησον. Dubium est, utrum Chrysostomi sit haec homilia: at communius inter reiectas recenseri solet. Incipit noster: Ἤκουες τοῦ δεσπότου χριστοῦ ἀρτίως λέγοντος; sed in cod. XIV, n. 14 Fabric., absque ullo auctoris nomine, initium capit ab his verbis: Ἤκουσας ἀρτίως, ἀγαπητὲ, τοῦ Δεσπότου Χριστοῦ λέγοντος. Cf. Migne, *Ind. alph.* in op. S. Io. Chrys. XIII, 1355-6.

14. (ff. 149[b]-166). Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν ἰωάννου τοῦ μανσοῦρ (Damasceni) λόγος ἐγκωμιαστικὸς εἰς τὴν πάνσεπτον κύμησιν (*leg.* κοίμησιν) τῆς ὑπεραμώμου Θεοτόκου· κύριε εὐλόγησον. Hanc homiliam una cum duabus aliis de eodem argumento P. Michael Lequien e vetustissimo codice Bibliothecae Monasterii Sangermanensis Parisiaci cum duobus aliis, Regio scilicet et Colbertino, collato primus edidit. En titulus, prout legitur in fronte homiliae, quae huic nostrae respondet, quaeque in illius editione primum tenet locum: Ἰωάννου ταπεινοῦ καὶ ἐλαχίστου μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου, τοῦ Δαμασκηνοῦ, Ἐγκώμιον εἰς τὴν κοίμησιν τῆς πανυμνήτου, καὶ ὑπερενδόξου εὐλογημένης Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ Ἀειπαρθένου Μαρίας; idest: *Humilis et exigui monachi et presbyteri Ioannis Damasceni Encomium in dor-*

mitionem celebratissimae gloriosissimaeque ac benedictae Dominae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae. Textum Lequien I.-P. Migne in sua *Patr. gr.* t. XCVI, 699, sq. ad verbum sequutus est; noster autem varias continet lectiones, quae plerumque cum Reg. codice conveniunt.

15. (ff. 167-170). Ponuntur hic, sub numero ιέ, quaedam, ut ita dicam, adnotationes eiusdem auctoris ad homiliam *de Dormitione B. M. V.*, quam superiori numero indicavimus. Incipiunt: Δοκεῖ ὁ περὶ τῆς τῶν ἀποστόλων συνόδου· τῆς ἐν τῇ κοιμήσει φημὶ τῆς παρθένου γεγενημένης· οὐδὲν χείρων (*potius* χεῖρον) etc. Et hae quidem adnotationes dignae sunt, quae typis pervulgentur, praesertim quod in editionibus Damasceni nulla earum fit mentio, et probabiliter adhuc ineditae remanent.

16. (ff. 171-185). Ὑπόμνημα διαλαμβάνον μερικῶς τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰ ἄθλα, ἀποδημίας τε καὶ τελείωσιν τῶν ἁγίων καὶ κορυφαίων ἀποστόλων πέτρου καὶ παύλου· κύριε εὐλόγησον. Commentarium hunc ex Ms. Medicaeo Graeco Regis Christianissimi in capita VI distributum, una cum latina Guilelmi Sirleti interpretatione, edidit Godofr. Henschenius in Actis SS. Petri et Pauli, die

XXIX Iunii. Titulus autem idem est, ac in codice nostro, ubi tamen nulla adest capitum partitio, et quaedam inveniuntur, sed parvi momenti, variantes lectiones. Displicet vero pauca circa finem folia deesse, ad scapos, ut supra dixi, deperditos pertinentia, ubi, praeter finem huius commentarii, initium etiam sequentis extabat.

17. (ff. 186-225). Longus *de Angelis* sermo, seu potius tractatus hic continetur: quis tamen eius auctor, vel qualis sit titulus, ob initialium foliorum deficientiam, latet. Quae vero supersunt integra folia quadraginta, pulchre exarata, multa de Michaele archangelo, quaedam etiam de Raphaele ceterisque angelis lectu digna exhibent. Hunc autem tractatum I. Stiltingum effugisse puto, qui plura de angelis et praesertim de Michaele in Actis SS. ad diem XXIX Sept. collegit, et graece etiam edidit una cum Possini latina interpretatione *Acta apparitionis s. Michaelis in Chonis*, quae omnino a commentario nostro differunt.

18. (ff. 226-243). Ἐπίλυσις τοῦ λόγου τοῦ ὁσίου (?) πατρὸς ἡμῶν γρηγορίου τοῦ (θεολόγου) εἰς τὰ φῶτα. Oratio d. Gregorii Nazianzeni, quae hic explanatur, est XXXIX tum in Billiana editione, tum etiam in Mau-

rina, et in patr. gr. Migne, titulumque praefert: Εἰς τὰ ἅγια φῶτα, scilicet *in Sancta Lumina.* Commentarius autem, quem ultimo loco collectaneum hoc volumen continet, nullum praebet auctoris indicium, et longe aliud est ab *Interpretatione graecarum historiarum* huius sermonis, quam sub nomine Monachi Nonni edidit Migne in *Appendice* ad orationes s. Gregorii (t. XXXVI, col. 1066). Nec inter XIX orationum commentarios Eliae Cretensis, quos e codice ms. basileensi excerpsit Albertus Iahnius, explanatio ulla huius XXXIX orationis invenitur, cum qua commentarius noster conferri possit. Hic autem tantummodo verba declarat, ut ex paucis quae hic in exemplum subiicio, cuiquam videre licet.

Πάλιν Ἰησοῦς ὁ ἐμός· Ἑρμηνεία: Τὸ πάλιν τὸ ἐκ δευτέρου σημαίνει· καὶ γὰρ ἐν τῇ ἄλλῃ ἑορτῇ εἴπομεν περὶ τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ, καὶ Θεοῦ ἡμῶν· σήμερον πάλιν περὶ αὐτοῦ λέγομεν ἕτερον μυστήριον. Ἰησοῦς ὁ ἐμός: τοῦτ᾽ἔστιν ὁ ἐμὸς σωτὴρ etc. Et ita prosequitur fere usque ad orationis finem, scilicet, usque ad num. seu § XVI, cuius initium est: Ἀλλὰ καὶ ἄνεισιν Ἰησοῦς ἐκ τοῦ ὕδατος.

Explicit hic absque ulla temporis aut loci aut conscriptoris nota praesens volumen, quod multis abhinc annis in hac olim Collegii Maximi Bibliotheca cum aliis mss. codicibus pariter ad

Basilianos monachos spectantibus asservatur. In fine post Anonymi commentarium quaedam recentioris aevi cernuntur oblitterata verba, lectuque prorsus impossibilia.

BASILIUS (*S.*) Homiliae, *graece.*

Codex membranaceus in f.° maiori (mm. 354 × 266), saeculi, ut puto, XI, duabus columnis perspicue conscriptus, sed initio et fine mutilus. Titulos omnes rubro charactere exaratos ac ornamentis eiusdem coloris interclusos exhibet. Constat foliis 264.

Extat huic volumini adnexa quaedam cl. p. Iosephi Romano S. I., olim huic Bibliothecae praefecti, autographa scriptura, qua homiliae enumerantur in praesenti codice comprehensae. Hanc ergo hic subiicere constitui, paucis quibusdam emendatis et adiectis, ad maiorem codicis explanationem.

1. (ff. 1-6ª). Ὁμιλία εἰς τὸν πρῶτον ψαλμόν, idest *Homilia in primum psalmum.* Deest integrum folium cum titulo et initio huius homiliae. Codex autem noster incipit a verbis: Κακεῖνο δὲ οἶμαι τὸν προφητικὸν λόγον, quae reperiuntur prope finem § 2, ubi desinunt praeliminares in psalterium declarationes. In editione maurina reperitur hic sermo in tomo I, f. 90, et in patrol. Migne t. XXIX, col. 209, sq.

2. (ff. 6ª-12ª). Περὶ νηστείας, *De ieiunio.* Est homilia II huius argumenti in ed. maur. tom. II, p. 10, et in ed. Migne t. XXXI, col. 185; at in Colbert. secundo legitur λόγος πρῶτος, et in Colb. tertio λόγος α΄.



UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 104210593